

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4797

Auteur(s) : Nicolas le Waleis [particulier]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1239, février

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Nicolas le Waleis vend aux religieux de Bonport une pièce de vigne, à Léry.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CXVIII, p. 117-118.

Texte établi d'après a

Sciant presentes et futuri quod ego Nicholaus Le Waleis, de assensu et voluntate Thecie, uxoris mee, vendidi et omnino quitavi monachis Boni Portus, pro quatuor libris et quatuordecim solidis turonensium, quas ipsi mihi pagaverunt, quandam pechiam vinee, sitam in parrochia de Lereio, de feodo dictorum monachorum, inter vineam Petri Crassi, ex una parte, et vineam Gaufridi dicti Caponis, ex altera ; habendam et possidendam predictis monachis integre et quiete, salvis redditibus qui debentur de dicta vinea, videlicet hiis: Willelmo Beguin, undecim solidos turonenses ; Auvreio le Boscheron totidem et duas gallinas, et Petro Crasso tres solidos ; absque omni calumpnia et reclamacione de cetero, ex parte mei vel heredum meorum. Et poterunt dicti monachi de predicta vinea facere voluntatem suam tanquam de suo proprio tenemento, salvis viginti et quinque solidis turonensium et duabus gallinis supradictis, quos dicti monachi reddent annuatim predictis Willelmo, Auvreio, et Petro et eorum heredibus ad terminos consuetos. Et si contigerit quod uxor mea supervixerit me et debuerit habere dotem in dicta vinea, assigno ei post decessum meum dimidiam acram terre, sitam juxta pontem de Lereio, pro excambio dotis dicte vinee. Alioquin si noluerit excambiationi consentire, et in dicta vinea dotem, secundum consuetudinem patrie debuerit habuere, dicti monachi tenebunt et possidebunt dictam dimidiam acram terre in manu sua quamdiu dicta Thecia vixerit, in recompensationem dotis dicte vinee. Hec autem omnia prout in presenti carta continentur, ego Nicholaus et heredes mei dictis monachis contra omnes tenemur garantizare vel alibi, si necesse fuerit, valore ad valorem, excambiare. Quod ut firmum sit et stabile, presentem cartam sigillo meo sigillavi.

Actum anno gracie M° CC° tricesimo octavo, mense february.

Testibus.... [Gau]frido, tunc presbytero de Lereio ; Stephano Havard ; Petro Crasso ; Willelmo Barre ; Rogero de Mon..... ..frido Auberici ; Roberto le Walei, et multis aliis.